



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispytationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

3 Quæ ablutio sufficiat, vel requiratur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

potest ex circumstantijs, quæ se tenent ex parte operantis: quia confessio est actio quadam moralis, at vero ablutio, est res quadam physica, quæ non variat rationem suam, ex eo quod subiectum sit in necessitate, vel extra illam.

*Ad alteram partem dubitatio.*

Atque hinc est facilis responsio ad posteriorem interrogationem de quantitate aquæ. Dicendum est enim, eam aquæ quantitatem, & necessariam esse, & sufficere, quæ ad abluendam seu contingendam sufficientem corporis partem satis fuerit. Quocirca cū hic contactus successiue fieri debeat, parua quantitas aquæ sine dubio sufficiet, quia successiue statueret potest per magnam corporis partem.

*Alia dubitatio.*

Dices, cum hæc ablutio possit esse maior, vel minor, quando perficitur sacramentum: numquid statim finita minima ablutione necessaria, an post absolutam totâ ablutionem, quæ de facto fit, quamuis alioqui non esset tota necessaria? Videtur enim, primum, quia ad perficiendum sacramentum sufficit materia necessaria. Aliunde vero videtur, secundum: quia quando illa minima ablutio non adhibetur sola, non potest dici ablutio, sed pars vel initium ablutionis. Cum ergo sacramentum non sit pars ablutionis, sed ablutio simpliciter, non perficitur sacramentum, donec perficiatur ablutio, quantumcumque illa sit.

*Quorundam responsio.*

Respondent aliqui, hoc esse intentione baptizantis definiendum. Sed hoc non satis facit, tum, quia minister non potest sua intentione differre vel suspendere perfectionem sacramenti, si alioqui habeat verâ intentionem efficiendi illud, & sufficientem materiam & formam adhibeat, tum etiam, quia nullus minister habet huiusmodi intentionem, nec moraliter potest illam habere: sed absolute intendit facere sacramentum, sicut potest & debet. Dico ergo, statim ac perficitur forma, si cadat in ablutionem sufficientem, quantumuis minima sit, statim perficitur sacramentum, propter rationem factam, quia iam ibi concurrunt omnia necessaria. Et ita sentit Caiet. hic artic. 8. & idem indicat Soro. Ad argumentum vero dicitur in primis cum ablutio sit res homogenea, quamlibet partem ablutionis esse ablutionem: & ideo, si alioquin sit per se sufficiens, nihil referre, aut obitare, quod post illam alia partes ablutionis subsequatur. Vnde vltimus dicitur, quod licet physice illa ablutio sit, veluti quidam partialis motus, quia vltimus continuatur: tamen in ordine sacramentum est materia totalis: quia, ut sic, subest formæ, & quidquid postea sequitur, est per accidens ad sacramentum.

*Verisolutio.*

Sed contra nam D. Thom. in 4. d. 3. articulo. 4. quaest. 3. ad 3. dicit, quando Baptismus fit trina mersione, non perficitur sacramentum, donec absolutatur tertia mersio, & idem dicit Palud. ibi. quaestione 3. circa finem. & pater: quia alias superflua esset posterior immerfio, si iam esset factum sacramentum: quia nunquam constare posset ex trina illa mersione: quod tamen videtur & contra intentionem Ecclesie, & contra intentionem ministri sic baptizantis: ergo eadem ratione in quouis alio baptizandi modo, non perficitur sacramentum, donec absolutatur tota ablutio.

*Obstio.*

Respondetur, illud dictum D. Thomæ, ut verum habeat, intelligendum esse dummodo non perficiatur tota forma, donec fiat vltima mersio, nam si perficeretur forma in secunda, vel in prima, tunc esset sacramentum perfectum, ut dictum est. Quocirca in eo baptizandi modo, si minister velit, ut omnes mersiones aliquo modo concurrant ad sacramentum, obseruare debet, ut non proferat totam formam ante vltimam mersionem, quia alias non poterit impedire perfectionem sacramenti, si legitimam habet intentionem: etiam si intendat baptizare trina mersione, quia solum potest hoc intendere, prout in se est necessarium, & ideo illa intentio nihil obstat, quin sacramentum perficiatur, cum pri-

*Respondetur.*

imum sufficiens materia sub essentiali forma completur. Imo neque obitare potest talis intentio, ut dixi, etiam si ipse minister cupiat suspendere, seu differre perfectionem sacramenti: nisi adeo sit temerarius, ut directe nolit sacramentum conficere: etiam si proferat formam, donec tanta ablutio, verbi gratia, totius corporis, aut donec trina mersio, vel aliquid simile periciatur. Tunc enim fortasse omnino nihil efficiet, quia non habet legitimam intentionem perficiendi sacramentum, quando perfici potest: vel, si cum illa particulari intentione retineat generalem intentionem faciendi, quod fecit Christus, & quod potest & debet, nihilominus statim pericietur sacramentum.

Atque hinc tandem intelligitur, quomodo sit verum, quod Paludanus supra scribit: si aliquis tenet baptizare paruulum animam agere trina mersione, & contingat paruulum mori in prima, vel secunda, & huiusmodi infantem mori sine Baptismo, & ministrum peccare grauiter, & præterea manere irregularem. Nam primum, quod de paruulo dicit, tunc erit verum, quando paruulus mortuus fuerit ante absolutam formam, non vero, si post formam integre prolatam decedat, ut dictum est. Secundum de peccato ministri est certissimum, tum propter nocumentum corporale, quod infert paruulo, præsertim sine necessitate, tum propter periculum, cui exponit illum decedendi sine sacramento essentialiter perfecto. Tertium de irregularitate: tunc erit verum, quando sic baptizans censetur homicida, vel accelerans mortem paruuli per actionem suam, & quando huiusmodi causa mortis datur, non solum incurretur irregularitas, si paruulus decedat ante perfectum sacramentum, sed etiam, si sacramentum iam perfectum sit: quia irregularitas non incurritur propter spirituale nocumentum, sed propter homicidium seu mortis accelerationem, quæ in utroque casu æquæ interuenit.

Dices, ergo etiam si quis baptizat huiusmodi paruulum agente animam minima ablutione sufficiente ac necessaria ad Baptismum, si per illam acceleretur mors, manebit irregularis. Respondetur huiusmodi casum non esse moralem, quia semper potest fieri tam parua, tamque temperata ablutio, & in tali parte corporis, ut nihil noceat, nec mortem acceleret. Si tamē firgendi deur licentia, propter huiusmodi accelerationem non incurretur irregularitas: quia illa neque est iniusta, neque intenta, seu per se facta, neque moraliter vitari potest: sed est solum iuste permessa: & ideo, qui sic baptizat, nullo modo censetur causa mortis: non ergo est, cur irregularitatem incurrat.

### SECTIO III.

*Quod ablutionis genus ad Baptismum sufficiat, vel necessarium sit.*

Duplex est ablutionis genus, vnum est per aspersionem, seu infusionem aquæ: alterum est, per immersionem in aqua. In quo potest esse varietas, nã hæc immerfio potest esse, vel vna, vel multiplex: Item potest esse talis immerfio, cui succedat immerfio, aut talis, quæ sit sola immerfio: quæ videtur potius esse suffocatio. Inquirimus ergo, quo ex his modis facienda sit ablutio, quæ ad Baptismum sufficit.

Et ratio dubitandi esse potest: quia Pelagius Papa in Epist. ad Gaudentium, prout refertur à Gratiano in ca. Multi sunt. de Consecrati. dist. 4. & ab Iuone in Pelag. Epist. suo decreto 1. p. c. 161. dicit esse præceptum Euangelicum baptizandi trina mersione, cum inuocatione Trinitatis: vbi vtrumque cõiungens indicat, vtrumque esse eiusdem necessitatis, ergo sola trina mersio est ablutio ad Baptismum sufficiens. Præterea in Can. 50. Apostolorum sic dicitur. Si quis Episcopus, aut Presbyter nõ trinâ mersione vnius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, & dari videtur in Dñi morte,

morte, deponatur. Nō enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed euntes docte omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hinc Basil. li. de Spiritu sancto c. 27. inter Apostolicas traditiones ponit, trina merione baptizare, & Terrull. lib. de Corona militis, c. 3. eam numerat inter traditiones non scriptas: idem Terrull. libr. aduer. Praxeam. c. 26. Quæ traditio sumitur etiam ex Dionys. lib. de Ecclesiast. Hierar. cap. 2. in 2. par. illius, in fine, & ex Leone Pap. Epist. 4. ad Episcopos Sicilia. ca. 3. vbi ait, per trinam merionem, triduanam Christi sepulturam significari, & ex Hieronymo Dialog. contra Luciferian. & in id ad Eph. 2. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma. Ter mergimur (inquit) vt Trinitatis vnum appareat sacramentum. idem August. serm. 91. & 201. de Tempo. & in ca. Postquam, de Confess. d. 4. sic etiam Damascen. lib. 4. c. 10. Baptismus (inquit) per triplicem merionem, tres dies, quibus Dominus tumulo conditus iacuit, significat: atq; idē fere legimus apud Athan. qu. 125. ad Antioch. & Gregor. Nilfen. Orat. magna Carechet. c. 35. Ambr. libr. 2. de sacra. ca. 7. Aug. ser. 91. de Temp. Deniq; Theodoret. lib. 4. hæreticarum fabularum cap. de Eunoio, ita de eo scribit. Ipse subuertit sancti Baptismi ritum à Domino, & Apostolis ab initio traditum, dicens, non oportere ter immergere eum, qui baptizatur, & horum error videtur damnari in Conc. Constantinopol. 1. can. 7.

Sed nihilominus dicendum primo est. Quamcunq; ablutionem, siue per asperionem fiat, siue per immersionem vnam aut trinam sufficere ad sacramentum constituendum, dummodo vera ratio ablutionis saluetur. Hæc cōclusio intelligitur, quantum attinet ad necessitatem sacramenti, vt factum teneat, nam de ritu seruando ex præcepto infra dicemus. Et hoc sensu est certa conclusio, & communis Theologorum in 4. dist. 3. & D. Thomæ infra articulo 7. & 8.

*1. Conclusio.* Et probatur, quia materia proxima Baptismi est ablutio, vt ostensum est, sed ex institutione Christi nihil aliud definitum est, nisi quod hæc ablutio sit in aqua, quod vero hoc, vel illo modo fiat, non est à Christo præscriptum: vt patet ex illis verbis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua: & ex illis: Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, &c. Ergo nullus particularis modus ablutionis est de essentia Baptismi. Rursus vera ablutio fieri potest per asperionem, & per immersionem vnam, aut trinam: ergo quilibet istorum modorum sufficit ad Baptismus, quantum ad eius necessitatem, & essentiam spectat. Præterea, quod trina merio non sit necessaria, sed vna sufficiat, constat ex Concil. Toletan. 4. ca. 5. vbi etiam refertur responsio Gregorij Papæ ad Leandrum, quæ habetur li. 1. Regi. Epist. 41. qui consultus de hac re, quoniam in Hispania, quidam triplici merione, alij vna tantum baptizabant, respondit: Vtramq; retineri posse, siue trina merio adhibeatur ad significandam Trinitatem personarum, siue vna tantum ad consentandam diuinitatis vnitatem. Imo addit consultus fuisse tunc, posteriorem baptizandi modum retinere ad vitandū Arrianorum errorem, qui naturarum diuisionem, & Trinitatem in trina merione profitebantur. Quod autem, neq; vna merio sit simpliciter necessaria, sed asperio sufficiat præter rationem factam, est sententia Cypriani libr. 4. Epistol. 7. alias Epistol. 76. §. Quæst. vbi ad hoc confirmandum adducit illud Ezec. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatis vestris: & ex eo, qd Num. 18. & 19. aqua purificationis, per quam aqua Baptismi significabatur, aqua asperionis dicitur. Item ex consuetudine Ecclesie, in qua semper obseruatum est, vt hoc modo tribui possit Baptismus saltē in necessitate: quomodo legimus, Laurentium instante martyrij sui tempore quēdam baptizasse asperione, seu perfusione aque: signum ergo est hoc sufficere ad Franc. Suarez Tom. 3.

essentiam & substantiam sacramenti. Quin potius etiam Apostolos hoc modo interdum baptizasse, multix eo colligit, quod vno die tria millia hominum baptizatos legimus, Act. 2. quod facile fieri poterat per asperionem: difficilius autem per immersionem. Tandem Christus Baptismo suo, quo baptizatus est, indicauit, & sanctificauit materiam Baptismi ab ipso instituendi: ipse autem baptizatus est per asperionem, vt per se verisimile est, & communiter creditur, ac depingitur: ergo quilibet horum modorum sufficit ad sacramentum. Quod vero attinet ad præceptum, nihil certius dici potest, quam seruandam esse vniuscuiusque Ecclesie, seu Prouinciæ consuetudinem, vt D. Tho. infra art. 8. sentit. & Turrecr. capit. Si quis de Confess. d. 4.

Vna tantum superest difficultas, scilicet, an, quando Baptismus fit per immersionem, necessarium sit, vt immersioni emersio succedat, & casus vulgaris est, si quis puerum in flumen proiciat. Theologi enim communiter sentire videntur, illum non esse verum Baptismus, quamuis in ratione reddenda non conueniant. Scotus enim, dist. 5. dicit ablutionem, quæ est materia Baptismi, ordinari ad vitam æternæ: qui baptizatur, illam autem ablutionem potius ordinari ad mortem, & ideo non satis esse ad Baptismus. Sed hæc ratio laborat in æquiuoco, ablutio enim sacramentalis ordinatur ad vitam animæ: potest autem hunc finem retinere, etiam si ex praua ministri intentione ad corporis mortem ordinetur. Nam talis intentio ministri, si nō mutat veritatem ablutionis, nō potest obstaré, quo minus sacramentū fiat. Quia praua intentio, quæ non est contra substantiam sacramenti, sed contra bonos mores, non impedit substantiam sacramenti. Exemplo res aperte demonstratur. Nam, si sacerdos aqua calidissima infantem ablueret, intentione quidem baptizandi illum, animo tamen simul interficiendi, verum sacramentum conficeret, quia hæc posterior intentio non excludit intentionē conficiendi sacramentum, neq; tollit aliquid, quod sit de substantia eius. Aliter ergo Richardus dist. 4. a. 4. casu 1. aliam rationem reddit: quia illa submersio non est ablutio, quia de ratione ablutionis est, vt submersio succedat emerfio, nam oportet vt corpus prius aqua tingatur, seu cooperiatur in toto, vel in parte, & postea discooperiatur: hoc autem non fit, quando baptizandus proicitur in aquam, & ideo illa nō est ablutio, sed potius suffocatio. Et cōfirmatur, nam ablutio, quæ est materia Baptismi, debet representare Christi passionem, & Resurrectionem: illa autem immersio, cui non succedit emerfio, non representat Resurrectionem villo modo. Et hanc fere rationem sequuntur Palud. dist. 6. q. 1. artic. 3. Marfil. in 4. q. 4. art. 4. dubitat. 8. Soto dist. 3. quæst. vnicæ, art. 8. circa finem. Syluest. verbo, Baptismus 4. §. 10. & Baptismus 5. §. 1. Angelus verbo Baptismus 4. in principio. Armilla verbo, Baptismus, numer. 30. Sed hæc etiam ratio non videtur conuincere, quia de ratione ablutionis solum est, quod sit successiuus contra corpus aquæ circa corpus hominis, vt supra visum est, sed tota hæc ratio ablutionis saluatur in illa immersione, quamuis illi non succedat emerfio: ergo est ibi vera ablutio, atq; adeo vera materia Baptismi. Et confirmatur, nam si quis immundum lapidem proiciat in flumen, & ibi mūdetur, vere dicitur esse ablutus, antequam è flumine extrahatur: ergo non est de ratione ablutionis, quod submersio succedat emerfio: neque est contra rationem ablutionis, quod fiat per solam submersionem, ergo fieri optime potest, vt minister intendat abluere submergendo tantum, & non emergendo: ergo quod immersio ordinetur ad emerfionem, accidentarium est, & non variat substantialem materiam, & intentionem sacramenti. Et confirmatur secundo: quia si minister bono animo immergat infantem in flumen ad baptizandum illum, & casu elabatur è manibus, & suffocetur, nihi-

*Dubitatio*

lominus perficiet sacramentū, vt Soto admittit, ergo, signum est, illum præcisum contactum aquæ illo modo factum, esse sufficientem abluionem, & materiam Baptismi: ergo etiam si sit per se intentus, erit similiter sufficiens materia: nam ratio abluionis non variatur ex eo, quod vel casu, vel à consilio emerit non succedat immersioni.

Quocirca, quod Richardus ait ad abluionem requiri, vt corpus, aut pars eius prius cooperiatur aqua & deinde discooperiatur, non est vel ratione aliqua, vel auctoritate fundatum, tum quia ad rationem abluionis per se ac præcisè non requiritur, nisi sufficiens contactus aquæ: vnde si metaphysicè fingamus partem aquæ abluentis contingere partem corporis illique adhærere tempore aliquo, illud nihil obstat, quominus ablutio & sacramentum perficiatur: tum etiam quia, vt dicebamus, optime fieri potest ablutio sub aquis, imo etiam in abluione, quæ fit per asperisionem, tanta posset esse moles aquæ super hominem infusa, vt illum profus obrueret, & operiret, & nihilominus illa esset ablutio sufficiens ad Baptismum.

*Vera responsio.*

*Gabr. Holcot. Ranornis. Petr de Aliaco. Sum. Rosel.*

Quapropter alius videtur in eo casu verum perfici sacramentum, quamuis grauius peccet, qui se baptizat, propter homicidium, quod committit. Ita sentit Gabr. in 4. d. 4. qu. 2. artic. 3. dub. 4. circa finem qui refert Holcot & Panormit. in cap. eo. Non vt apponeres de Baptismo. Et idem tenet Petrus de Aliaco in 4. quaest. 2. & sum. Rosel. verbo, Baptismus, Et hæc opinio mihi videtur satis tuta & probabilis, quia reuera nullus essentialis defectus in tali Baptismo ostenditur. Suppono enim, ministrum habere veram ac sufficientem intentionem baptizandi: suppono etiam, proferre integram formam antequam infans moriatur. Et similiter suppono, in illo tempore, dum profertur forma, fieri contactum aquæ de se sufficientem ad Baptismum perficiendum, quid ergo desideratur, vt perficiatur? intentio enim occidendi non obstat, vt probatum est. Item non refert quod immersioni non succedat emeritio: quia totum hoc est accidentarium, dummodo seruetur ratio abluionis, prout seruari potest, sicut probatum est: neque etiam refert, quod significetur sepultura, & non resurrectio: quia hæc representatio non est de essentia Baptismi, sed sola ablutio. Imo ad Rom. 6. sola sepultura dicitur proprie ac formaliter representari per Baptismum: Resurrectio vero solum ex consequenti, quatenus illa mors ad hoc ordinatur, vt in nouitate vitæ ambulemus. Denique non obstat, quod minister proiciat infantem in aquam. Quia si hoc obstat, aut esset propter suffocationem, & hoc non, quia prius fit ablutio, seu contactus sufficiens, & postea sequitur suffocatio, aut esset, quia cum minister proiciat infantem, non videtur ipse abluere, cum non contingat illum, sed hoc etiam non requiritur, quia etiam cum infundit aquam in infantem, non tangit illum, & tamen abluere dicitur, quia efficit contactum aquæ ad puerum: eodem autem modo est causa illius contactus, siue illum faciat mouendo aquam ad infantem, siue è conuerso. Nihil ergo ibi deesse videtur ad veram rationem Baptismi.

*Ratio dubitandi in principio positam respondetur: primum, ad Gelasium (cuius integram Epistolam reperire non potui) dicendum est, per se ac directe solum intendere docere ad Baptisma conficiendum, non satis esse proferre formam in nomine Christi, seu in nomine Domini, sed necessariam esse expressam Trinitatis inuocationem, vt patet etiam ex Capitul. Si reuera, De consecratio. distin. 4. Quia vero eo tempore moris erat, tres personas in tribus immersionibus inuocare, ideo Pontifex obiter vtrumque coniunxit in priori capite, quamuis non sit æqualis vtriusque necessitas. Et ideo in fine absolute concludit, Baptismum datum sine expressa inuocatione Trinitatis esse inualidum: illum vero, qui datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, esse*

se validum: nullamque adhibet limitationem, neque ibi mentionem facit trimæ immersionis. Atque idem ad can. 4. fere respondendum est ad Apostolicum canonem, *postquam in quo directe damnatur error eorum, qui baptizabant nomine Christi mortui pro nobis, & ad hunc ritum magis introducendum vtebantur vna immersione tantum. Contra hos ergo docetur, inuocandam esse Trinitatem, & additur, ter esse mergendum, tum propter consuetudinem illius temporis, tum in detestationem illius erroris. Quod vero hæc sit intentio canonis, patet ex ratione, quam subdit, dicens, Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Ad alios Patres respondetur, solum referre consuetudinem, quæ tunc seruabatur propter conuenientem significationem, non tamen sentire illam caremoniam fuisse de necessitate sacramenti, vt ostensum est. Concilium vero Constantinopolitanum damnat Eunomium, quoniam hæretico spiritui & ad introducendos falsos errores, auferebat illam caremoniam. Sicut etiam idem sancti, Basilii lib. de Spiritu sancto, Ambrosii de sacramen. cap. 5. Cyprianus Epist. 70. Tertullianus lib. de Baptismo. cap. 4. referunt alias caremonias, vt verbi gratia, quod Baptismus aqua prius benedicta perficiatur, & alias similes infra suo loco explicandas, quas constat non esse de necessitate sacramenti.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc sit conueniens forma Baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

**A**d quintum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conueniens forma Baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Actus enim magis debet attribui principali agenti, quàm ministro. Sed in sacramento minister agit, vt instrumentum (vt supra dictum est) principale autem agens in Baptismo est Christus. secundum illud Ioannis primo Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est, qui baptizat. An conuenienter ergo minister dicit, Ego baptizo, presertim, quia in hoc quod dicitur, Baptizo, intelligitur ego, & sic videtur superflue apponi.

2. Præterea, Non oportet quod ille, qui aliquem actum exercet de actu exercito faciat mentionem, sicut ille qui docet, non oportet quod dicat: Ego vos doceo. Dominus autem simul tradidit præceptum baptizandi & docendi, dicens Matth. ultimo. Euntes docete omnes Gentes, &c. Ergo non oportet, quod in forma Baptismi fiat mentio de actu Baptismi.

3. Præterea, Ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba, puta si sit surdus aut puer. Frustra autem ad talem sermo dirigitur, secundum illud Ecclesiastici 32. Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Ergo inconuenienter dicitur: Ego te baptizo, sermone directo ad eum, qui baptizatur.

4. Præterea, Contingit simul plures baptizari, & à pluribus, sicut Apostoli baptizauerunt vna die tria millia, & alia die quinque millia, vt dicitur Actuum secundo, & quarto. Non ergo debet forma Baptismi determinari in singulari numero, vt dicitur: Ego te baptizo: sed potest dici, nos vos baptizamus.

5. Præterea, Baptismus virtutem habet à passione Christi. Sed per formam Baptismus significatur. Ergo videtur, quod in forma Baptismi debet fieri mentio de passione Christi.

6. Præterea, Nomen designat proprietatem rei. Sed tres sunt proprietates personales diuinarum personarum, vt in prima parte dictum est. Non ergo debet dici, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in nominibus.

7. Præterea, Persona Patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine Inuisibilis, & Genitoris: Filii etiam